PRINCETON UNIVERSITY LIBRARY DUPL
32101 037069521

CHERLER

URBIS
BASILEAE
ENCOMIUM

Digitized by Google

2949
.253

Library of

Dei Sub Numine Viget

Princeton University.

Digitized by Google

158984

11.

VRBIS BASILEAE ENCOMIVM, BREVIS-QVE DESCRIPTIO, ANTE nunquàm edita.



IMPRESSVM BASILEÆ,

SVMPTV CHRISTOPHORI A SI-
chem, Librarij, Anno Chriſti

M. D. LXXVII.

III.

VRBIS BASILEÆ ENCOMIVM, BREVISQVE DESCRIPTIO: AD DOCTISSImum Virum, & clariſsimum Mathematicum, Dn. CHRISTIANVM Vvürſthiſium, Baſilienſem: Præceptorem & amicum ſuum. Authore M. PAVLO CHERLERO ELSTERBVRGENSI.

ME tua, Vvürſthiſi, pridem vox blanda magiſter, Cauſa impell. ad hoc ſcriptum.
Acri qui vultu metiris ſidera Cæli,
Et totam radio deſcribis gentibus orbem,
Sollicitat, monitisq; uocans inuitat amicis:
Ut patriæ victura TVAE præconia texam:
Rauriacamq; breui BASILEAM condere uerſu,
Te ſuadente, velim. Votis en obſequor æquis:
Et patriæ refero non pulchro carmine pulchram,
Tantùm ſumma ſequens rerum faſtigia, ſortem.
Nam quia Ter centum finire encomia metris
Pœnè cupis: libanda mihi ſunt plurima paucis:
Non dicenda: loquar non omnia: plurima ſtringam.
Hoc genus officij tibi debeo care Magiſter:
Hoc BASILEA tibi: doctis me moribus alter
Imbuit: eximiam dedit altera fida puellam:
Nunc quæ me dulci carum uocat ore maritum:
Et facit aſsiduè numeroſa prole parentem:
Extenditq; meæ ſurgentia nomina gentis.
Vnde ſed incipiam? dubius feror: vndiq; denſa

2949 253 10935

Obijcitur mihi ſylua, tuæ percongrua laudi,
O' felix BASILEA? volant rumore ſecundo
Namq; tuæ laudes hinc uſq; ad ſidera notæ:
Iampridem: gemino tua fama ſub æthere floret.
Sunt alijs aliæ præſtantes dotibus urbes:
Quas habet Elyſio tellus Oenotria tractu.
Urbs, armis, Venetum: ualido Florentia Iaccho
Præſtat: cœnobijs Monachorum Roma ſuperbis:
Fertilibus campis, Verona: Bononia Muſis:
Mantua at armentis: Sulmo felicibus undis.
Et multas hodie GERMANIA fertilis vrbes
Enumerat: proprio quarum problemate quæuis
Nobilitanda venit: producta ad ſidera TVRRIS
Argentina potens peperit tibi nobile nomen:
Nobile Gymnaſium peperit quoq; nobile nomen.
Clara Vienna beat magni te Cæſaris Aula.
Tinctum mutandæ Francfurtum flumine Mæno.
Vndiq; commendant Germana per oppida, merces.
Toto dædaleas Mundo celebratur ob artes
Noricaberga, rudis ſterili ſita margine campi.
Urbem de Monachis dictam nunc Boia tellus
Obtinet, illa nitet domuum ſplendore ſuperbo:
Miſnica conſimilis poterit cui Dreſda videri.
Et mirè cultis tu Lipſia fœta puellis.
Quas omnes vidi mirans: ſua maxima dos eſt
Omnibus: & propria quæuis virtute triumphat.
At Baſilea tenet cumulo regalis in vno
Plurima, quæ reliquæ diuiſis partibus vrbes

Cõfertur Baſilea cũ alijs Italię & Germaniæ urbibus: ut eius prętogatiuę melius eluceſcant.

Germ. uocãt Munchen: ciuitas Bauarię eſt ædificijs cultiſsima, & ſplendidiſsima.

Acce-

Accepêre: fuit Superùm nec parca uoluntas,
Cùm Baſilea tibi ſua munera larga dedêre.
Sed iuuat in ſpecie quædam memoranda referre,
Quæ tibi conceſsit blando ſors aurea uultu
Munera: Vuurſthiſi, tua mollia iuſſa ſecutus.

Hactenus quaſi in Theſi, nunc in Hypotheſi agã.

MAGNA *Dei bonitas in te, Gens Rauraca, miti*
Eſt effuſa polo: nam tu cæleſtia Vitæ
Verba tenes purè, cæleſtibus eruta Libris.
Et per Templa NOVEM, multis adaperta diebus,
Aurea diuinæ reſonant Oracula uocis.
O' fortunatam nimiùm, tua ſi bona noris
Regia Gens: ductumq; Dei, tractumq; ſequare.
Vana ſuperſtitio tibi pulſa receſsit ab aris
Impietas idola procùl fugêre peruſta.
Succeſsitq; Dei ſimplex Reuerentia: plenam
Quæ iacit in Chriſti meritoq; fideq; ſalutem:
Non in laruati dubio molimine cultus.

1. Commendatio ab Oraculis diuinis, puraq; Religione, quàm Baſilea Dei gratia habet: quo beneficio maius hominum Generi à Deo opt. max. dari nõ poteſt.

EST TIBI *prætereà ſanctuſq; piuſq; Senatus,*
Sunt patriæ patres, niueum Ius dicere prompti
Omnibus urbe viris, dubia ſi lite laborent.
Sunt veteres Marſi: ſunt pleni iure Catones:
Sunt & Ariſtides: indeprenſiq; Camilli
Fraudibus: & fratres hîc Scipio pulcher haberes.
ABSVNT Hannibales, Catilinæ, auidiq; Nerones:
Abſunt Pompeij: Brutiq; & Caſsius audax
Haud aliquem tota conſortem cerneret urbe.
Hûc fugiens Italos Aſtræa nouiſsima, propter
Candorem populi poſuit ueſtigia tuto

2. Commẽdatio ab optimi prudentiſsimiq; Senatus beneficio: qui Iuſticiã ſeduló colit: & omnem iniuſticiæ labẽ à ciuibus profligat

Sera loco: pax & requies comitantur eandem.
Cæca nocte licet ſine T E L I S *ire per umbras*
Ciuibus vt media res eſt tutiſſima luce.
Iuſticiæ id præſtat ſolers tua cura, Senatus.
Et recti generoſus amor: pœnæq; ſtatutæ
Sontibus: hic pulſi propter Pietatis amorem
Ad te confugiunt homines ex omnibus oris:
Inq; tuo tuti gremio requieſcere gaudent.
Si tamen eſt aliquis, miſeros qui uexet & angat
Inſanus nebulo: vinclis ac carcere frænant
Hunc proceres: pacemq; docent: uim uiq; retundunt.

Baſilea exulũ quaſi ara & portus.

P A C I S *amans Baſilea, procul diſcordibus armis,*
Tranquillos ſinit ire dies: ſinit arma proteruis,
Vana Getis: nec bella gerit, niſi pænè coacta
Hoſtibus: innocuas armis defendat ut aras:
Proq; focis pugnet: ſocijsué uocantibus adſit:
Et fidam meditetur opem: tunc martia virtus
Emicat; Heluetici tunc uſus fœderis ingens.

3. Commendatio à ſtudio tuendæ & fouendæ ſanctę pacis, & à bellica uirtute, cũ neceſſariò pro Aris focisq; pugnãdũ eſt.

Q V I D C I V E S *memorem forteſq; grauesq; piosq;*
Et uariè doctos: animis genus acre leonum
Germina virtutis, metuandaq; fulmina Martis?
Quid ſtudia? ut gnauæ flauentis tempore meſſis
Formicæ ſatagunt operis: nigroq; feruntur
Agmine per ſulcos: alimentaq; lecta requirunt.
Inq; domos condunt: operâ omnis ſemita feruet.
Florilegas aut qualis apes ſub ſidere verno
Exercet per rura labor: cùm cerea fingunt
Tecta: vel ambroſio conſtipant nectare cellas.

4. Commendatio ab hominum utriuſq; ſexus exercitijs, labore, induſtria, beneuolentia, &c.

Ardet opus: fragrantq́ thymo redolentia mella.
Talis Rauriacos exercet cura Colonos:
Et tacitum patris agitant ſub legibus æuum.
Cætera pars cenſu viuit, quo diues abundat.
Matronæ magnis poſſunt æquare Lacænas Mulieres.
Viribus: hæc, dices, ſed & illa, atq́ illa Virago eſt,
Obuia cùm tulerint plateis: veſtigia Muſis.
Succifluæ forma certant præſtante puellæ: Virgines 12. puellæ.
Quæ norunt lêgiſſe: colo ſubtilia ducunt
Fila: canunt hymnos: & amicula verba loquuntur.
Inq́ ſui iuuenes, nudis aſpectibus vſæ,
Inuitant tractu rapiente potenter, amorem.
Sunt Baſilea tibi, ſpecioſis plurima formis 5. Commendatio ab ædificiorum ſplendore, amplitudine, & ſupellectile, &c.
Atria: verticibus ſublimia: lata capaci
Circuitu: ſolidaq́ rigent ex pumice ſtructa.
Quæ magni poterant vel Cæſaris aula videri:
Et Superos decuiſſe: Ioui dari limina digna.
Extra culta minus: miro ſed ſplendida luxu
Intus & argento, Iaccho, graniſq́ repleta:
Sunt varijs opulenta bonis, mirabile viſu.
Et Septem magnæ claudunt vaga mænia portæ:
Nec facili Vulcanus edax ratione nocebit:
Cumq́ nocet dira latè volitante fauilla,
Continuò ciues domuum ſarcire ruinam
Feſtinant: etiam quoties incendia ſurgunt, Incendiorum damna ut reſarciantur, & methodus reſtinguẽdi illa.
Vim prohibent: volitantq́ armis: atq́ ære coruſcat:
Expectantq́ hoſtem: ſerpitq́ per agmina murmur,
Vt campena dedit flammarum tinnula ſignum,

Pars altis hæret ſcalis: pars aduehit vndas:
Et fontes haurit: properant, contisq; reuellunt
Semuſtas auido igne trabes: & flumina fundunt,
Dum reſtincta cadat uis flammæ, atriq; vapores
Tartaream latè uoluant ad ſidera nubem.

6. Commendatio ab Academiæ celebritate: doctorumq; uirorũ copia.

Nec dos illa minor reliquis, clariſſima laude
Quòd Baſilea tuis Academia floret in oris,
Quæ tibi conciliat viuax in ſecula nomen:
Te celebremq; facit, cuius te nomine Saxo
Viſitat: & toto diuiſus ab orbe Britannus,
Heſſus item: Gallusq; fugax craſſiq; poloni,
Atq; loquax Italus, Boiusq; Variſcia lato
Quos ſylueſtris habet, vaga quosq; Sileſia tractu,
Huc fluitant iuuenes, Muſarum blanda ſecuti
Caſtra, grauesq; viros, ſua quos doctrina per orbem
Nobilitat, notosq; facit volitante triumpho.
Namq; Lycæa tenent magnam Baſileia laudem,
Quæ, veluti Troianus Equus, cultiſſima fundunt
Pectora in externas ſtudijs felicibus oras.
In quibus hoc ſuperat Cicerones tempore docti,
Socraticiq; viri viuunt: doctiq; platones,
Sunt Auguſtini, præſtantesq; arte Galeni,
Hypocrates, Legumq; patres, iurisq; periti.
Solus honore caret Vates Andinus, & Heros
Mæonius, qui tempus habent nunc forſan iniquum.

7. Commendatio à Typographiæ uſu & commoditate, quæ Baſileæ quaſi regiam ſedem obtinet.

Hac etiam meritò nobis celebrâbere laude
Præ reliquis Baſilea locis, quos ſpumeis ambit
Oceanus, ſub vtroq; iacent vel climate mundi.

Calcographia tua quòd mire excellit in vrbe,
Ars priſcis ignota viris, ars, munere cuius
Mortales viuunt libri, fugiuntq; tenebras,
Excuſiq; typis totum ſparguntur in orbem:
Vt precio effundant magnos leuiore redempti
Theſauros, hæc ſola facit, mirabile dictu,
Vt iam quiſque ſuo totum lare poßit habere
Parnaſſum: Muſaſq; nouem cum principe Phœbo.
Hæc mihi te notam fecit, caramq; priuſquàm
Te Baſilea meis inſpexi ignotus ocellis
Hoſpes, & exacuit prono demulſa fauore
Corda mihi, iußitq; tuum pede limen inire.
Hæc te commendat plus, quàm res vlla per omnes
Terrarum populos, ut liber opinor aruſpex,
Mitior aura tibi, cœlumq; ſalubre tenetur:
Et placidi ſpirant conſueto tempore venti
Vrbe tua, non acre gelu brumalia fœdat
Tempora: cumq; venit cupidis meſſoribus æſtas
Spicea, parturiens & fœta campus ariſta
Flaueſcit, ſigno iam ferueſcente leonis,
Aeſtifer haud nimium diffindit Sirius arua,
Rhene pater fortaſsè ſolo geniale leuamen
Sufficis amne tuo: qui frigore temperet auram,
Auram frigidulam, permiſtam flatibus auram.
Quam non inficiunt ſordes, turpeſq; latrinæ,
Cur ita? namq; minor maleolentes Birſula ſordes
Abluit, immiſſa cùm ſubterlabitur vnda
Fornicibus: mira qui pendent arte cauati:

8. Commendatio ab aeris cœliq; ſalubritate.

Repurgationes ſordiũ in locis ſecretioribus per fornices: quos ſin

gulis ſeptimanis ſemel immiſſus Birſula fluuiolus abluit, & in Rhenū deuehit.

In Rhenumq́ vehit ſcrutandam piſcibus eſcam.
Mira cano, ſed vera cano: qua fraude cauetur,
Vt non exhalet ſceleratum clauſa mephitis
Fœtorem: quo ſæpè bonus corrumpitur aer,
Et morboſa procul tandem contagio ſerpit:
Cumq́ viris pecudes immani tabe trucidat.

9. Commendatio á facilitate & fertilitate annonæ, uini, olerū, & rerum ferè omnium, & piſciū, lignorū, butyri & quæ ad huius pertinent uitæ ſuſtentationem, neceſsitatem, addo etiā uoluptatem, &c.

Eſt victus facilis tibi: pleno copia cornu
Vndiq́, ſi credas, felicibus adfluit horis.
Ingenioſus ager dat farra: dat optima vina:
Mutatæ merces, nummos: dant flumina, piſces:
Hercinium dat ligna nemus: quæ nantia prono
Spontè vado veniunt, Birſaq́ humiliq́ Viſello.
Helueticiq́ vehunt mulſores pingue butyrum.
Marchicus ipſe frequens adit oppida paſtor, & infert
Gallinæ teneros fœtus: captasq́ volucres:
Auritos alij lepores: Sungauia pubes
Aduectat frumenta rotis ſtridentibus: omni
Sunt fora plena die dapibus, quibus indiget vſus.
Nil tibi pænè deeſt: vtinam cognoſcere poſſes.
An liquidos etiam fontes, in pænè trecentis
Quos videas ſcaturire locis in ſaxea labra,
Eloquar? & mira gratas dulcedine lymphas?
Quales uix alibi noſtro guſtauimus ore:
Has emptas magni reor Argentina, nec erro,
Optares tibi poſſe vehi: nam lympha ſalubris,
Et bona, præſentis non eſt dos vltima vitæ.

10. Cōmendatio á quatuor pulcherrimis deambulacris ſiti-

Denique carminibus referam pulcherrima Tempe,
In gremio Baſilea tuo quæ maxima condis.

Quæ

Quæ ſi tranſuolitem, lectori cæcus haberi
Iure bono poteram: modò ſi mea carmina lector
Ullus dignetur, placidis ut ſpectet ocellis.
Quatuor eſſe tibi conſtat regalia Tempe:
Vnum pons Rheni, cuius pars altera ſaxo,
Altera conſtructa eſt ligno bipatente, miniſtrat.
Vtq́ fugax Rhenus binas interſecat urbes.
Gurgite cæruleo: ſic Pons ſuper additus undis
Contiguis geminas quaſi tignis copulat urbes.
In medio paruum ueteri de more Sacellum
Conſpicitur: quondam facturis uota Colonis,
Cum mare ſulcandum foret, exoptabilis Ara.
Viſitur oſtiolum porrò: per guttura cuius
Inſidæ matres (quæ uel ſua pignora ferro
Clàm ſuperant, uel atroce manu thalamumúe iugalem
Forte libidinibus maculant) truduntur in imum:
Vt bibulas ſaturent lethali flumine fauces:
Et uitam claudant constrictæ fune ſub undis.
Hoc in ponte uiri, iuuenesq́ ſenesq́, diurnis,
Si modò non prohibent immani murmure Cauri,
Et terris deſunt pluuiæ, ſpaciantur in horis.
Commiſcentq́ ſonos: longisq́ fugacia fallunt
Tempora colloquijs: uideas ternosq́ duosq́,
Quatuor, & quinos ueſtigia compare motu
Tollere: tumq́ pari ueſtigia figere motu.
Nunquàm plebe uacat: pars ambulat, altera quernis
Incumbit fulcrisq́ cohors, & cærula ſpectat
Flumina, pulſarum ſubterlabentia pontem.

ſiue tempe: qualia in Germania, quòd ſciam, nulla alia urbs habet

1. Pontis Rhenani deambulacrũ, eiusq́ uſus ac uoluptates, & res obſeruatu dignæ.

Sacellum in ponte.

Schãdthürlin, das den namẽ hat uõ Schãdhürlin.

Ex alto iuuenes æſtiuo tempore nudi
In freta deſiliunt, fluuio merſantq; profundo
Corpora cum collis: madidis neq; crinibus extant.
Sed citò præcipites fundo voluuntur in imo:
Anſer vt humidulus lymphis cùm ludere gaudet:
Aut imas volitans ſub aquas ad pabula mergus.
Interdum dulces animas in gurgite linquunt:
Interdum remeant: iunctæ ſtant vndiq; naues:
Ad qnas contendunt, ſulcantes cærula palmis.
Hos ſpectant. alibi piſcator nante carina

Piſcantiũ conſuetudo & libertas.

Alta petens, latam funda tranſuerberat vndam
Et mox concluſis pelago trahit humida lina
Piſcibus: ex alia puerorum parte maniplus
(Omnibus id licitum) ſuſpenſos ſtipite piſces
Decipit, & calamo ſalientes ducit ab vndis:
Quos ſua credulitas vncum pellexit ad hamum:
Penſilia aut traxit tacitis in retia technis

Turris ad Pōtẽ cis Rhenũ.

Singula ſunt viſu gratiſſima: Turris ibidem
Pulchra ſtat: & Rheni profugæ ſuperimminet vndæ:
In cuius ſuprà ſpectatur machina tergo,

Machina heraria.

Aequales ſpacijs reſonans diſtantibus horas:
Lucentemq; globũ lunæ, lunæq; labores
Edocet aſpectu. Nuper renouatus at infrà

Eques pictus.

Stat Sonipes, ac fræna ferox ingentia laxat:
Spiranti ſimilis: depictus & arte magiſtra:
Torui barba viri flauet: volitantq; capilli:
Lumina glauca micant: magnis flat naribus auſtros:
Prælongoq; pedis pungit calcare Caballum

Horren-

Horrendum, ingentem, viſu mirabile monſtrum.
Cum pede, quinq; pedes calcar pedis eſſe ſiniſtri
(Dexter namq; latet) longum memoratur: equini
Criſpantur villi: denſiſſima cauda ſed albet,
Inſurrecta pilis: aurataq; cingula lucent.
Pons etiam ſecreta tenet loca bina: Coloni
In quibus exonerant olidas in flumina feces
Ventrorum: quoties ſors inſuperabilis urget.
Prima ſatis cantata mihi: nunc Altera Tempe
Succedant: Gemina ſummum qua Turre ſub Aſtra
Erigitur Templum, roſeas Orientis ad oras,
Eſt locus illuſtris: uerſus teſtantur Eraſmi,
Quos legiſſe licet cælatos marmore quadro,
Arboris ad patulæ viuacem corpore truncum.
Pfaltz dixère locum Germani nomine: latè
Illic diffuſis Tilia eſt ampliſſima ramis:
Quam tredecim ſua fulcra tenent: ſunt ſedibus apta
Marmora: diſpoſitis condenſaq; frondibus arbor
Seſſores dulci aſpirans complectitur vmbra.
Hic oculos paſcit latum proſpectus in aruum:
In ſyluas, montes, & amictas gramine valles:
In pagos: dulciq; etiam loca conſita Baccho,
Inq; ſtrepentis aquas Rheni: nam perfurit infrà
Aeſtus atrox, rapidus: vaſtaq; voragine gurges
Murmure ſorbet aquas: & voluit gurgite ſpumas,
Obuia cum ſcopulis illiſa retunditur vnda.
Demerſam requieſſe ferunt hoc gurgite quondam
Campanam: verùm fama eſt obſcurior annis.

Dux in ponte latrinæ.

II. Deambulacrũ ad ſummũ Templũ: eiuſq; cognata.

Tilia memorabilis.

Confragroſus in Rheno gurges.

Nec ſitus hic tantùm celſo locus aggere, pulcher:
Pulchrius eſt Templum, quod proxima ſuſtinet ora

Summũ Templum, Eraſmi Roterodami ſepultura cohoneſtatum.

Rotterodame tua Templum memorabile tumba:
Antiqui ſplendoris opus, pulcherrima tota eſt
Planicies: circoſq; tenet ſpaciantibus æquos
Sub tilijs, in circuitu, ſub fornice ſacro.

III. Deambulacrum in platea S. Iohãnis prope Templum Cõcionatorum. zum Prediger: eiusq; memorabilia.

Tertia ſunt Tempe ſeptem ſubiecta trioni:
Hic vbi longa adytum ſancti dat porta Iohannis,
Incumbitq; vadis ſaxoſa rupe profundis.
Ad quam cùm tendunt homines, in parte ſiniſtra
Eſt locus, antiquum ſurgit de marmore Templum:
Et propè Templa uiret ſaltus: quem ſaxeus ambit
Murus: ſacra loci cognomen concio prodet.

Mortis chorea. Todtentantz.

Illic ſunt Choreæ depictæ in pariete Mortis
Effigie viua, viuiſq; coloribus: illas
Præteriens caſu multum ducente Viator
Suſpicit: & variæ confuſus imagine formæ
Multa ſtupet: Cæſar, Princeps, Rex, curuus Arator:
Et Baro, & Vpilio, tarduſq; bubulcus, auarus
Mercator: proceres alij, Iuriſq; magiſter
Conſpiciendus adeſt: & plurima fœmina mixta eſt.
Eminet inter eos, quæ uix tamen oſſibus hæret,
Mortis imago feræ tortis accincta chelydris:
Nuda caput: denteſq; albos, feralis imago.
Et ſecum iubet ire duces: iubet ire Tyrannos:
Doctos ire viros: pecorum iubet ire magiſtros,
Ire iubet iuuenes ſecum: iubet ire puellas,
Siue uelint nolint, iubet ire: trahitq; necatq;

Clepſy-

Clepſydræq; manu prætendit labile fatum:
Spectares luctam:ſed mors rapit omnia victrix:
Et nulli parcit ſexu:nec deniq; parcit
Aetati: ſimilem pauper cum diuite ſortem,
Obtinet: & ſimilem diues cum paupere ſortem,
Non procul à foribus,depictis oſsibus albet
Marmoreus paries:populi ſeptusq; corona
Oecolampadius ſacra verba docere videtur:

Gratitudinis τεκμήριον erga Miniſtrū uerbi optimè ꝓmeritum tempore renaſcētis Euangelij.

Talari fuſcus tunica,facieq; decorus:
Os hiat:arte micant digiti:læuæq; uolumen
Incumbit:pendet populus muſſantis ab ore.
Oecolampadius, uitæ qui verba ſalutis
Primus Rauriaca ſoluit conſtanter in vrbe
Dogmata,Leucoreis quo tempore fulſit in oris
Lux noua,deterſis pulſa cum nocte tenebris.

At Te planicies Petri quo carmine dicam?

IIII. Deambulacrū ad S. Petrum: quo loco amœniorem in ulla ſiue Germaniæ, ſiue Italiæ, imò Europæ totius, Aſiæ, Africæ Vrbe, uix reperiri et conſpici arbitror.

Re tua prima venit:poſtrema ſed ordine,palma.
Talia non alio uidi Viridaria ſaltu,
Qualia tute foues:decorat quæ plurima ſyluæ:
Vt poßis Martisúe nemus,ſaltusúe Dianæ,
Sylua uel Alcinoi, ferres ſi poma, videri.
Elyſius uix campus habet, Peneiaq; ora:
Aut Cananæus ager, nec tu Saturnia tellus
Delicias ſimiles. Cælo ſtant pænè minaces
Aeriæ ordinibus tiliæ:ſerieq; magiſtra:
Quæ iucunda ſuis texunt umbracula ramis:
Ramis,lenè quibus ſtrepitans immurmurat aura:
Et molli ſomnos ibi ſuadet inire ſuſurro.

Caſta-

Locus luſorius: & ludendi uariæ ſpecies ſeu formæ.

Caſtalijs loca grata uiris: loca grata puſillis,
Ludere quando parant: venit huc æſtiua Iuuentus.
Pars in gramineis tractant ioca læta palæſtris,
Pars pedibus plaudunt choreas: ſaltantq; per herbam.
Herboſa pars errat humo: tempusq; tuendo
Conterit: hi currunt: illi prægrandia trudunt
Saxa manu, iaciuntq; procul: pars deniq; pubis,
Cum pare quiſq; ſuo, viridi luctatur in herba.
Conſonat omne nemus ſtrepitu, miſtisq; cachynnis
Spectantum: feruetq; iocis ignobile vulgus.
Vt verò nequeant pecudes accedere brutæ,
Setiger aut porcus: duris vel bucula plantis:
Aut caper, aut vrentes culta capellæ,
Pumiceus prohibet murus, Domus inſuper adſtat
Ampla loco, gremioq; capax: Hac arma tenentur

Armamentarium Zeughauſs.

Bellica: bombardæ, ferrataq; plauſtra: globiq;:
Fraxineæq; haſtæ: ſimul & thoraces aheni:
Et clypei, & capitum terſo caua tegmina ferro.

Sagittariorū & Baliſtarum officina, Schieſsplatz.

Hic etiam ciues miſſis certare ſagittis
Feſta luce ſolent: pueriq; impuberis æui:
Victori pannos, & pocula ſtannea ponunt.
Hic etiam legitur ſolenni more Senatus,
Annua Baptiſtæ cùm lux reuoluta recurrit,
Et pictas viridi terras æſtate ſalutat.

Quercus Peſtina.

Hic etiam ſurgit nemoroſo tegmine Quercus,
Quercus amata Ioui: late quæ brachia iactat
Ingens, ter denis ramos ſuffulta columnis,
Palchra quidem uiſu, qua non inſignior vlla

Chaonie

Chaonio in ſaltu lapſos eſt viſa per annos.
Sub qua Cæſaribus placuit requieſcere priſcis:
Grataq́ regifico conuiuia ducere luxu.
Infrà perpetuæ leni cum murmure lymphæ Fons ſubter quercum.
In puteum canna quernum funduntur ahena:
Vnde ſolent pueri, quoties caluêre iocantes,
Dulcis aquæ properante ſitim reſtinguere guſtu:
Et tandem recubant patulæ ſub tegmine Querci,
Graminibus fuſi, captent ut frigus opacum:

Plurima præterea poterant hoc carmine dici,
Quæ Baſilea tuam ſunt admiranda per vrbem:
Antè ſed exhauſto moriens defecerit amne
Rhenus: Birſa retrò conuerſo flumine curret.
Nec nemore Hercinio ſinuoſa valle Viſellus
Profluet, & Rheni ſocias voluetur in vndas.
Quatuor antè ſolo montes æquarier alti,
Quos Baſilea tenes aduerſa fronte locatos,
Vi poterunt: totidemq́ ruent à culmine turres
Montibus extructæ: Martini templa, Petriq́:
Et Leonarte tuum: ſummæq́ palatia ſedis:
Gramine, prata: feris, Alpes: & robore ſyluæ:
Sideribus, cælum: lymphis Baſilea carebis
Antè, tuas poßim bene quàm percurrere laudes:
Et longo memorans comprendere ſingula verſu.

Sis igitur, ſis grata Deo, de diuite cuius ἐπίλογος: quo innuitur, in quẽ finẽ hoc Baſileæ encomium ſit cõſcriptũ: in eũ uidelicet, ut
Omnia theſauro capis, haud elata tumeſce:
Vtere legitimè, felicibus vtere fatis,
Salua quibus frueris tot iam labentibus annis.

C *Sit*

& Baſilea ſuã
fauſtiſsimã a=
gnoſcat ſor=
tem: & ea pia
ac grata mẽ=
te, ſine ullo tu
more & con=
temptu alio=
rum, utatur.
Quem ſi con=
ſecutus apud
quoſdam tal=
tem fuero: nõ
fruſtrà hunc
collocaui la=
borem meũ:
quem in gra=
tiã cariſsimi
prçceptoris
(nomẽ in car
mine poſui)
ſuſcipere pla=
cuit.

Sit cordi tibi priſca fides, ut hactenus: eſto
Candida Iuſticiæ fautrix, pietatis amatrix:
Muſarum cultrix: & fidum ſemper aſylon
Exulibus miſeris: pepulit quos ſæua Tyrannis
Finibus à patrijs, & dulcia rura coegit
Linquere: præcipuè placeat mens conſcia recti.
Ipſa etiam, poſſunt ſi quid præſagia vatum,
Perpetuò viues Baſilea, nitentibus ampla
Laudibus, inſignis pietate, & pinguibus aucta
Diuitijs, virtute potens, armiſq; tremenda.
Cumq; erit illa dies, qua rubri machina Mundi
Igne laborabit, totuſq; exarſerit axis,
Fatalis ſpacium tandem tibi deſinet auri.
Interea Baſilea vale, Baſilea triumpha,
Et flore Baſilea, precor ſic pectore toto
Pincemiæ vates ego ruſticus, annue votis,
Omnipotens Genitor, Fili, ſacer annue Flatus.

FINIS. ῥᾷον μωμήσασθαι ἢ μιμήσασθαι.

I. CONSVLIBVS.

D. Caſparo Krugio,

Et D. Bonauentura à Brunn,

II. DVVMVIRIS.

D. Bernhardo Brando,

Et D. Vlricho Schultheto.

III. SCHOLARCHIS.

D. Henrico Petri, celeberr. Typographo.

D. Luca Gebhardo.

D. Balthaſaro Hanio.

IIII. RECTORI ACADEMIAE.

D. Felice Platero, Doct. Medico, & Vrbis Baſileæ Archiatro.

V. DECANO philoſophici ſtudij.

D. Matthia Meiero.

VI. PRIMARIIS ANTISTIBVS in *quatuor ſummis templis.*

D. Simone Sulcero in ſummo Templo, S. Theologiæ Doctore: viro opt. & doctiſs.

D. Vlricho Coccio ad D. Petrum, S. Theol. Doct.

D. Iohanne Fueglino ad S. Leonartum diſertiſsimo Rhetore.

D. Iohanne Brandmullero ad D. Theodorum in minori Baſilea.

Anno Salutis 1577. à condito Mundo, vt doctiores ſupputant. 1539. Menſe Ianuario: cùm aliquot menſibus antè peſtis graſſari incœpiſſet. Adſit nobis Dominus Deus inpoſterum.

PICTVRA, SE

ſilea, cum pleriſq; in



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCETON UNIVERSITY LIBRARY PAIR
32101 034983500

(extr)
2949
.253

Item 2859367

Digitized by Google